

Q. D. B. V.
AD

ORATIONEM LATINAM
SUB
PERSONA LEGATI
ROMANI
JUSTITIAM ET LE-
GES AB ATHENIENSI-
BUS PETENTIS.

DIE CRASTINO,
IN AUDITORIO MAJORI,
HORA SOLITA
HABENDAM.

VENERANDOS DNN. INSPECTO-
RES, PATRONOS, FAUTORESQUE,
ET QVOTQVOT LATINA AMANT,

LITERIS PRAESENTIBUS
PEROFFICIOSE ET PERAMANTER

INVITAT

M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ Reſtor.

~~-----~~
CTGNEA,

LITERIS JOH. DAVID, FRIDERICI



AM IV



Vlt sancta iustitia etiam hoc in solatium suum, ut singularibus nominibus in quibusdam filiis suis & cultoribus celebraretur. Quæ nomina Jureconsultorum appellem singularia, quibus honor ipsi iustitiæ accesserit, exemplis aliquot more meo breviter jam monstrabo. Nominetur ergo

I. FR. ALBERGOTTUS, Aretinus, *solide veritatis Doctor*, quem ad annum usque septuagesimum secundum vitam produxisset relatum legimus, cum annus 1304. nascentem; annus vero 1376. naturæ debitum perfolventem vidisset. Hic in legibus interpretandis candorem, inque recludendis jurium fontibus ingenuum quoddam ostendens ingenium, sine vafritie & subdola calliditate suo muneri cum summo honestatis studio fatisfecit. (a)

II. PETRUS ANCHARANUS, Bononiensis, *veridicus interpret & lumen iuri*. Fama præter cæteros egregia ævo suo emicuit, & illustri Farnesiorum familiæ, unde lucem mutuatus erat, novum postea decus sua virtute atque ingenio cum largo sænore addidit, Reipublicæ peritus, usque diuturno prudentior factus, eloquentia apud suos & multa autoritate pollebat propter ea, quibus sui admirationem aliis injiciebat, consilia. Neque minus scriptis, quam voce patriam dum juvabat, Principibus Italiæ, civitatibus, Musarum domiciliis plurimum commendabatur, sic ut sine dubio excellentissimus lætus magnæque existimationis haberetur. Baldum propitio jam tum fato nactus erat Præceptorem, ejus ex intima familiaritate secretiora jurisprudentiæ documenta jugi studio perceperat. Bononiæ in S. Dominici templo sepultus canonicus speculum & civilis juris ancora, ut est in sepulchrali inscriptione, vocatur. Et licet re familiaris aliisque curis nimis sæpe distraheretur: semper tamen in literarum cursu, ut strenuum Musarum amatorem decet, perrexit, multisque juris editis speciminibus, memoriæ suæ etiam post cineres commendatam voluit. Floruit 1410. (b)

III. JOH. ANDREAS, Bononiensis, *Rabbi Doctorum, lux, censor, norma que morum*. In juris civilis scientia Martinum de Sulmannis audivit: Canonico tamen tanquam fons canonum, teste Trithemio, majorem adhibuit diligentiam: quapropter in eo solo suis scriptis illustrando postea elaboravit. Quippe sine controversia elegantem sibi doctrinam comparavit, neque solum Jurisconsultorum probe gnarus, sed & in reliquis sapientiæ magistris minime rudis erat aut hospes. Quidam inde illum omnium hominum præstantissimum existimavere: & Calderinus hominis indolem admirans in filium adoptaverat; quamvis ipsi alias soboles non deesset. Præter doctrinam insignem tanta perhibetur abstinencia fuisse: ut viginti annos pelle urina tectus noctu cubitaverit: usque dum pestilentia an. 1348. vivorum cœtibus ereptus est. (c)

IV. L. ATTILIUS, Romanus, *sapiens*. Ne sibi nimium placerent Græci specioso sapientum nomine, Roma non infelix æmula suum Attilium Græcis illis vel non postposuit, vel etiam equiparavit. Itaque primus ille à populo Romano sapiens cognominari cepit, ex quo imprimis Sardiniam provinciam Prætor creatus cum M. Aelio obtinuit. Namque illis temporibus suo exemplo docuerat, quantum momentum positum sit in civili sapientia. (d)

V. AZO, Bononiensis, *mens legum & vas electionis*. Præconium Baldo primum acceptum fert mox latius disseminatum. Quia Bononiæ docens invidia perebarur, malo isti monstro cessit, & ad montem Pessulanum se contulit; paulo post inde revocatus Bononiam suam, decem millia auditorum numeravit, qui ex omnibus Italiæ Galliæque provinciis eo confluebant. Mediolani in collegio non admittuntur Advocati, nisi deferant summam Azonis, quam jurent esse suam; quod satis est ad probandam viri apud Italos autoritatem. Inter discipulos ejus in maxima laude sunt Bernardus de Orna, Odofredus Beneventanus & Magnus Acurrius. Floruit autem an. 1230. (e)

VI. MAR-

(a) Thomasius in vit. illustr. vir. (b) Boissardus in icon. vir. illustr. (c) Eichardus in vit. Ilor. (d) Rustilius in vit. vet. Ilor. (e) Boissardus, l. c.

VI. MARTINUS AZPILCUETA, Navarrus, *Doctor Navarrus*, Juris Pontificij sacrorumque canonum scientissimus, eximie charus tribus Pontificibus fuit, Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. Gregorius quidem ante aedes ejus obequitans, eum foras evocabat, & integram fere horam detinebat in via. Docuit in Academiis Tholosæ, Salamanticæ, Conimbricæque jus Pontificium, & inter discipulos Didacum Covarruviam habuit, qui fere magistrum superavit. Ex omnibus, quæ scripsit, ipsius nomen quam maxime propagavit enchiridion illud seu manuale, quo tanquam corrice, ut ait Erythraeus, sublevari, qui confessiones excipiunt, lato scopulosoque illo sui muneris velut pelago, in quo non pauci antea errassent, nare tutius possunt. Quamobrem sicut olim Roscius, nobilis histrio, affectus fuerat, ut in quo quisque officio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur: ita hic, conversis in se hominum studiis, sibi pepererat, ut ex suo nomine non jam hominis, sed honoris vocabulo, quicumque in aliqua facultate excelleret, Navarrus appellaretur. Senex octogenarius, infirmæ virium valetudini consulturus, per urbem Romam seniori mulæ insidens vehebatur, quæ usu & assuetudine quasi animum heri sui agnosceret, quoties ei inter eundem pauperes obviam fierent, toties in via consistebat, donec senex medicantium necessitudini subvenisset. (f)

VII. ANDR. BARBATIUS, Messanenensis, *legum Monarcha & utriusque juris illuminator*. Jus canonicum commentario exquisito illustrius reddere conatus est, præterea de Cardinalium præstantia, de obligatione verborum & consiliis edendis dum laboravit: plerisque etiam propria nota ab aliis distinguendus esse videbatur. Claruit an. 1448. (g)

VIII. BARTOLUS de SAXOFERRATO, *juris lucerna & cæcorum dux, item speculum & veritatis pater*. Simulac sub Assisio Præceptore, docto & pio viro, literarum rudimenta deposuit, ad juris civilis disciplinam suas cogitationes convertit, cum vix annum ætatis decimum quartum attigisset, & statim in civitate Perusina, docente Cyno Pistoriensi, Jacobo Butrigario & Reynerio Forliviensi, ita profecit, ut postea vigesimo anno ætatis Bononiæ de jure publicis disputationibus responderit, sequentique anno solemnia Doctoratus insignia accepert. Postremo, relicto Pisis, ubi praxim, ut loquuntur, aliquantisper exercuerat, Perusium concessit, qui locus ei tantæ gloriæ occasio quasque mater extitit. Quotidianis enim prælectionibus summi Jurisperiti nomen solum in universa habuit Italia, Studiosis & Astrææ cupidis hominibus cupide ad eum concurrentibus. Haud omiserim, quod Carolus IV. Imp. gentilitiis Bohemiæ Regum insignibus eum virtutis causa donaverit. Mortuum Perusini, nam ibi an. 1375. vitam clausit, maxime desiderant, postquam annos vitæ quadraginta sex compleverat. (h)

IX. JOH. BOSSIANUS, Cremonensis, *juris lucerna & speculum mundi*. Discipulum Azonem sui similem formavit, neque doctrina neque jurisprudentia inferior. Arborem actionum glossasque in feuda eruditi eximiis laudibus extollunt. Obiisse dicitur an. 1197. (i)

X. JOHANNES BRUNNEMANNUS, *pius, sanctus, der Gewissenhafte*. Si ullus consilia, quæ ad jus ecclesiasticum pertinent, suppeditavit, hic Brunnemannus in primis ponendus, in primis nominandus est. Cujus tractatus egregius de jure ecclesiastico, optimæque prælectiones in regulas juris canonici, jam pridem sagacioribus ingeniis impense placuerunt. Et habent in prioribus potissimum Ministri sacri, quod etiam atque etiam contemplantur, discantque incredibili fervore pietatis res etiam in pectore juribus dedito habitare, & ore Jurisconsulti admodum ardentem urgeri posse. Equidem domum viri tanti, quæ Francofurti ad Viadrum est, præteriens olim crebro de jurisprudentia sancta & pia, deque suavissima pietatis & justitiæ consociatione cogitavi. Cæteras libri (ut alios taceam) dotes celeb. Struvius dicit: quicquid ad Principum superioritatem sacram & jura Consistoriorum facit, egregie in eo declaratur. Accedit perillustri generi supplementum & notæ, id est, ornamentum Samuelis Stryckii, magni

(f) Erythraeus pin. imag. l. conf. Thomaf. l. c. Bibl. univ. (i) Panciroll. in lit.

(g) König, Biblioth. vet. & nov.

(h) Gesner.

377 16 X 238 3747
magni ayo nostro Jurisconsulti, ejus familiae DEUS pietatis Brunnemannianae fructibus perfrui finat. (k)

XI. BENEDICTUS CARPZOVIVS, Wittebergenfis, *Princeps Jurisconsultorum*. Hujus decisiones aureas (sunt verba Recloris Magnifici Lips. cives Academicos ad exequias Carpzovii invitantis) legem Germanorum regiam, jurisprudentiam consistorialem (plura de jure feudali, jure foeminarum, aurea Bulla, confraternitate domus Saxonicae & Hassiacae, axiomate Ducum Saxoniae de non appellando suffragio Septemvirali in electione Caroli V. arbore confanguinitatis, & quibus jus publicum ac privatum, illustravit alia, siccio pede jam praeteritis) ita certe comparatas videmus, ut omnium terantur manibus, & ex iis velut ex tripode dicta citantur, & ita Carpzovius aylum juris & communis Praeceptor Jurisprudentum non immerito vocari queat. Mea enim tenuitas tali virtuti vel leviter attingendae non sufficit. Natus an. 1595. decessit lugente Themidis corona an. 1666. (l)

XII. PHILIPPUS de CASOLIS, Rhegienfis, *omnium sui temporis Doctorum Doctor*. Nempere testamenta & successiones examinans eiusmodi famam succedentem sibi invenit, ut ea quali testamentato firmata videatur. Vitam an. 1391. posuit. (m)

XIII. JAC. CUJACIUS, Tholosus, *alter Livius, alter Papinianus*. Mirabili concurfu juvenitus docuit, ex quo Arnoldum Ferrarium audiverat, seu Tholosae proficeretur, seu Duoniae Cadurcorum, seu Anguste Taurinorum trans Alpes invitatus ab Emanuele Philiberto regionis illius Principe. Ut enim apud suum Regem, sic Studiosi juris Cujacium velut Livium sequebantur. Et quia notas regulis Ulpiani apposuit, in quibus, aequè ut in reliquis operibus suis, Papinianum non dissimulaverat, Papianus inde vocitari solitus est. Obiit an. 1590. aetatis 63. (n)

XIV. GUIL. DURANDUS vel DURANTES, Episcopus Mimatensis, *speculator*. Speculum tribus distinctum voluminibus struxit, quod Ottobono, postea Hadriano V. dicavit. Vita functus traditur florente adhuc aetate, cum vix annum 30. excessisset. (o)

XV. HENNINGUS GOEDEN, Havelbergenfis, *Monarcha juris*. Non umbras pro rebus ipsis aut imaginationibus a vulgo sumtas proposuit, sed nervos legum & activam sententiam juris summa dexteritate in pronuntiando expressit. Hujus apophthegma vulgo circumsertur: lex sine executione est velut campana sine pistillo. Obiit 1521. (p)

XVI. P. SEMPRONIUS LONGUS, Romanus, *Sophos*. Eo nomine a populo Rom. insignitus est. Nam Tribunus plebis in Appium Claudium actionem suscepit, ejusque conatus repressit. Pontifex creatus & proximo anno Cenforum eo, quem in Consulatu collegam habuerat, tribus duas Aniensem & Tarentinam addidit. Praetor, cum nunciatum esset, Etruscos, Umbros, Samnites, Gallos etiani in armis esse & jam Romae minitari, summæ rerum a Senatu praepositus, justitium indixit, defectum omnis generis hominum habuit, & urbis defendendae consilia agitavit. (q)

XVII. M. ANTONIUS MURETUS, in suburbano Lemovici pago Mureto natus, *inre publica Christiana Tullius, item Mercurius aut Mercurii filius*. Diligebatur a Julio Caesare Scaligero ut filius. Novus Demosthenes videbatur: cum ingenii sui divitias explicaret Lutetiae: nec pedem ponere ipse doctor praenimia multitudine poterat, ubi commode doceret. Venetiis, ut Phidias statua, ejus Eloquentia & perspecta & probata, pariter apud Lauredanos, Embros, Contarenos, Solianos, Manutios in magno pretio habitus est. Post Pataviae vixit. Romae tandem Hippolyti Cardinalis Estensis suafui manfit & docuit. Et quamquam eum Stephanus Bathoræus, Rex Polonorum, munificis pollicitationibus ad se invitaret: Gregorius XIII. tamen, ne emigraret Italia, effecit. Natus an. 1526. obiit. an. 1585. (r)

XVIII. P. SCAPIO NASICA, Romanus, *coreulum*. A Senatu vir optimus iudicatus matrem Deum hospitio recepit, eloquentia primus, juris scientia consultissimus, ingenio sapientissimus. Habent enim animalia sagaciora cor minimum. (s)

XIX. JOHANNES OLDENDORPIUS, Hamburgensis, *Jureconsultus acris judicii & in praxi dexteritatis singularis*. Semper enim, quae a legibus & jure civili proficerentur, ad aequitatem retulit, maluitque controversias tollere, quam litium actiones constituere. Mortuus est. an. 1567. (t)

XX. PETRUS de BELLA PERTICA, *Doctor subtilis*. Illustris Jureconsultus & singulari vi praeditus ingenii. (u)

XXI. JOHANNES SEMECA, *Johannes Teutonius, der Teutsche Hans*. Herculeum quasi animum induerat prius Germanorum Idorum, cum glossare Decretum a M. Gratianum compilatum aggrederetur, quod nec ante nec post eum quisquam excellentius facere potuit. Morte mala sibi imminens evitavit an. 1267. aut 1269. (x)

XXII. UDALRICUS ZASIVS, Constantiensis, *secundus Varro*. Abi incunte aetate bonis literis operam dedit. Deinde juri discendo totus incubuit. Postremo Friburgum vocatus Constantia curiae, quae praefectus & in collegium juris Doctorum acitus toti Academiae ornamento fuit. (y)

Horum & similium laudum fontem [si a primo Mose discendas] oratione Latina indicabit

JOHANNES ANDREAS TROEMERUS, Dresdensis,

in qua nomine S. P. Q. R. leges petat ab Atheniensibus, & non nulla afferet ad gentis utriusque rempublicam pertinentia. Quod literis praesentibus significandum fuit. P. P. Cygnae d. 4. Maji, Anno 1705.

(k) Strab. Biblioth. jur. Select. (l) Memor. Carpz. apud VVitten. (m) Panziroll. l. c. (n) Masson. Vita Cujacii. (o) Rotomannus in comment. Verb. jur. (p) Adam. Vit. Id. (q) Rutil. l. c. (r) Andr. Schott. in vit. Mureti. (s) Avel. Pistor in Vir. illustr. (t) Adam. l. c. (u) Forsterus Histor. jur. civ. (x) Adam. l. c. (y) Boyer. Jarh. l. c.

His eloquis claris.

FR. 154.
185

PK
16

Q. D. B. V.
AD
ORATIONEM LATINAM
SUB
PERSONA LEGATI
ROMANI
JUSTITIAM ET LE-
GES AB ATHENIENSI-
BUS PETENTIS.

DIE CRASTINO,
IN AUDITORIO MAJORI,
HORA SOLITA
HABENDAM.

VENERANDOS DNN. INSPECTO-
RES, PATRONOS, FAUTORESQUE,
ET QVOTQVOT LATINA AMANT,

LITERIS PRAESENTIBUS
PEROFFICIOSE ET PERAMANTER

INVITAT

M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ Rector.

LITERIS JOH. DAVID, FRIDERICI,

BIBLIOTHECA
HONICKAVIANA

